

Cebes Philosophus

**Pinax. Cebetis Thebani Tabula, In qua omnes humanae vitae rationes ob oculos ponuntur ...**

Gryphiswald, [17. Jh.]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757616518>

Druck Freier  Zugang





XXVI. 15.

838

Fa-3688<sup>1-6</sup> (R)

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



[67]  
ΠΙΝΑΞ.

CEBETIS THEBANI TABULA,

*In qua omnes humana vite rationes ob oculos ponuntur, & una vera ostenditur, quam ingredi oporteat eum, qui se non ipse in exilium precipitare, quam tuto loco constituere malit;*

Latinâ paraphrasi liberiusculè reddita :

&

AMPLISS. CLARISS. PRUDENTISS.  
& CONSULTISSIMIS VIRIS, DN. CONSULIB. SYNDIC. CAMERARIIS & SENATORIB.  
Reipub. Gryphisylvanæ, honoris & officii causâ  
publicè dedicata,

à

M. ANDREA HELVIGIO FRIDLAND.

P. Lauri Coronato, & Conrectore Scholæ  
Senatoriæ.



G R Y P H I S V V A L D.



AD SENATUM GRYPHISVVALDENSEM  
Dominos & Patronos suos honorandos.

**D**Um fero (Patroni) Sene qua monitore sub aede  
Saturni didicit Tabula mysteria picta  
Thebanâ de gente Cebes; vos sumite latâ  
Fronte manuq̃, manu de parvère manus, egentis  
Et supplete vicem Musa, atq̃ ostendite factis,  
Quod non averſa à studiis gestetis honestis  
Pectora, nec sterilis fordescant otia Ludi;  
Ludi, quem naso vulgus suspendit adunco,  
Cevq̃, merum falso traducit nomine ludum.

At verò ista Schola passim neglectio, tetram  
Ordinibus vitæ pariet statibusq̃ ruinam.

Tollat de medio (tolletis deniq̃, credo)

Vis ò despectis inculti pectora Musis

Pluti mancipia, aggesto qui incumbitis avro,

Perq̃, mala inspidos traducitis omina sensus:

Tollite ab Urbe Scholas, artes proſcribite honestas,

Quid nisi Lernæ facies inſerſa Draconis,

Errorumq̃ chaos, tellus sine Sole, futurum &

Templa gement cultus & religionis honorem,

Conſilii expertem nequicquam publica molem

Res tollet, fatuos plorabit Veſta penates:

Omnia peſſum ibunt, si non alimenta miniſtrent

Apia Scholæ, & quamvis abjecti humilesq̃ labores.

Sed vos exemplo meliore probate Patroni,

Non adeò (ut vulgus putat) emolumentum eſſe Scholarum

Exiguum, avi Diſciplina tam ignobile nomen.

Tantidem fiant veſtri, precor, omnia: res tam

Publica, quam privata, ſui & cuiuſq̃ penates.

Omnia ſucceſſu Ludorum ab honore beentur.



M. Andreas Helwigius P. L. C.

ΚΕΒΗΤΟΣ ΘΗΒΑΙΟΥ  
ΠΙΝΑΞ.



**N**Gressi fortè recreandi animi  
ergò Saturni templum, quò multa ibi a-  
lia veterum monumenta, & in honorem  
Decorum à columnis suspensa, non sine  
admiratione vidimus donaria; tùm in-  
primis tabula quæpiam præ fani foribus af-  
fixa oculis sese nostris obtulit, continens  
picturam quendam peregrinam atque in-  
cognitam, suos habentem apologos ac peculiare significationes.  
Diu cogitantibus nobis, & tacite conjectantibus, qualisnam ea  
vel unde esset pictura, nihil tamen certi suspicari aut conjecturis  
assequi licuit. Neq; enim Urbem representare videbatur, neq;  
castra: sed murum, eumq; ambientem duos alios, majorem al-  
terum, alterum minorem. Erat verò etiam porta in primo mu-  
ro, ad quam ingens hominum multitudo collocata videbatur; in-  
tùs autem turba quædam muliercularum apparebat. Sub in-  
gressum verò & in ipso limine primæ portæ & muri, Senex qui-  
dam consistens, inspectorem agebat, quasi præcipiens quid ingre-  
dienti populo. Ambigentibus itaq; nobis, animiq; hærentibus,  
ac de fabulæ scopo sollicitis, Vir quispiam canicie venerandus ad-  
stitit: Nihil, ô hospites (inquiens) grave patimini, picturam i-  
stam accuratius considerantes, ejusq; mentem sollicitè rimantes.  
Nam paucis incolarum, quorsum ea spectet, aut quam vim ejus  
significatio habeat, innotuit. Etenim non est à civium aliquo  
profectum vetustatis hoc monumentum; sed hospes quidam  
olim huc advenit, vir prudens, & in humanitatis sapientiæq; stu-  
diis non leviter aut perfunctoriè versatus, oratione & opere Py-  
thagoricam planè ac Parmenicam exprimens vitam: is & hoc  
templum, & hanc tabellam Saturno statuit ac dedicavit. Utrum  
ergo (inquam ego) etiam ipsum Virum vidisti, ac de facie nosti?  
Quinimò admiratus sum (inquit) eum diu multumq; & stupui.



Junior enim quamvis existeret, multa tamen utilia, etiam senibus digna, in medium protulit: nec non de presentis mythologia eruditè ipsum sapenumberò verba facientem audire memini. Oro te (inquam) per Jovem, si tantum ab rebus tuis otii est tibi, perduc nos ad eundem. Vehementer enim ex ipso audire desideramus, quidnam sibi velit fabula, & quæ sub ejus involucro lateat sapientia. Excipit ille: Nihil equidem, ò hospites invideo: sed hoc ne vos lateat, periculosam quodammodo fore expositionem. Cur istuc? inquam. Nam (refert ille) quod si non aures modo, sed & animos adhibueritis attentos, dicta quoque; sensibus imis reposueritis, sapientes ac beati quidè evadetis: sin minus, insipientes & infelices & improbi & inertes facti, indecèter ac perperam vivetis. Similis namque est explicatio illi, quod Sphinx olim hominibus objiciebat, ænigmati: quod si quis intellexisset atque enodasset, incolumis servabatur; si secus, interficiebatur & dilaniabatur à monstro. Ita quoque; se res habet in hujus ipsius rei evolutione. Miraris? Insipientia Sphingis instar est hominibus. Etenim velut in ænigmate ostenditur hinc, atque; ob oculos statuitur, quid bonum, quid malum sit; quid verò neutrius rationem habeat in vitâ. Quæ si quis ignoret, jam secum actum est, atque; interimitur ab ipsa: non quidem simul & semel, quemadmodum is qui à Sphinge depastus interiit; sed paulatim ac sensim, quoad in vivis est, atteritur: quomodo solent ii, qui piaculi cuiusdam rei, ad supplicium legitime trahuntur; quod antequam planè persolvant, ipsa pro supplicio vita est. E contra: quum quis intellexerit, non ipse, sed Insipientia plectitur atque; interit: ipse autem vitam deinceps felicem, & ab omni parte beatam consequitur. Vos itaque; nisi delirare malitis, animum advertite, fidelique; aures, quæ dicentur, imbibite. O Deum immortalem, quanto nos flagrare fecisti desiderio, hæc si vera sunt! Atque; sunt (inquit) verissima. Ne quæso præcipientes, aut prævertas enarrando, ne otiosè ac frigide attendere videamur: siquidem quum tanta proposita multa sit, neque; nobis istuc impune futurum. Sumtâ igitur virgâ quadam, in picturam ipsam intendens: Viderisne (inquit) murum istum? Videmus. Hoc primum te-

mum tenere vos oportet, locum istum denotare Vitam; plebem  
verò promiscuam, quæ ad portam opperitur, eos esse quibus in-  
grediendæ ejus spes & animus est. Porro Presbyter ille superi-  
ori loco eminens, alterâ manu chartam tenens quandam, alterâ  
veluti monstrans aliquid, Dæmon sive Genius appellatur. Præ-  
cipit verò intrantibus, quid eos facere oporteat, vitam avspicatò  
si ingredi velint: callemq; monstrat, quem sequantur in arcem  
Vitæ profecturi. Ecquis ergo ille (inquam ego) & quæ ratione  
decurritur? Viden? (inquit) ad portam thronum quendam sive  
Solum positum, è regione loci, quâ patet ingressus populo: cui  
Mulier infidet ficto simulatoq; vultu, in quo fucati medicamen-  
ta candoris ac ruboris apparent, singulari ad persuadendum vi  
prædita esse visa, manuq; poculum quoddam offerens. Video  
sanè: sed quænam hæc amabo? Apâte (inquit) Græcis, Ro-  
manis Frays sive Deceptio vocatur, phaleratis suis dictis omnes  
homines circumveniens, atq; in errorem inducens. Porro av-  
tem quidnam agit ea? Hos, qui ingrediuntur ad Vitam, potat  
ex proprio genio & nativâ sua facultate temperato pharmaco.  
Potus autem ille qualis est? Scilicet Error atq; Ignorantia.  
Quid tum? Hæstâ hac potione, abeunt in Vitam. Utrùm av-  
tem omnes de istoc populo participant, an non? Omnes, inquit,  
bibunt; sed alii plus, alii minus. Caterùm nonne vides oppe-  
rientem intra Murum turbam meretricularum, variis formis præ-  
ditarum? Etiam. Hæc igitur sunt Opiniones & Appetitus &  
Voluptates. Quumq; jam ingreditur populus, profiliunt ipsæ,  
& complectuntur singulos; mox abducunt. At quorsum abdu-  
cunt eos? Aliæ quidem (inquit) ut serventur, aliæ verò, ut per-  
eant per Fraudem. Papæ quàm gravem atq; insalubrem potum  
narras! Imò omnes (inquit) splendide omnia de se pollicentur,  
quasi ad optima ducturæ sint, & in vitam felicem, nulliusq; rei  
indigam: Verùm alii per Inscitiam atq; errorem, quem à Fraude  
suxerunt, non advertunt, quænam sit vera via, quæ intra Vitæ  
metas contineat; sed oberrant temerè, quemadmodum videre  
est: itemq; ut ii, qui prius ingressi erant, circumvagentur, qua-  
cunq; illæ monstraverint. Istud video, inquam: Sed scemina

isthæc qvalis est, quæ velut cæca & bona mente privata esse videtur, consistens in saxo quodam tereti & rotundo? Vocatur illa (inquit) *Fortuna*: Est autem non modò cæca, sed & vana, & auditus expers. Hæc ergo quid habet negotii? Oberrat passim (inquit) & ab aliis facultates prædonis instar abripiens, ad alios transfert: à quibus ipsis rursùm è vestigio data repetit, & aliis donat temerè atq; inconstanter. Ideoq; & signum ipsum pulchrè naturam ejus exprimit. Quale hoc, quæso? Quòd videlicet lapidi rotundo insistit. Id sibi quid vult? Quoniam inconstans est, minimeq; tutum, quod ab ejus manu proficiscitur, munus. Calamitates namq; graves atq; acerbas parit, si fidem ei quis habuerit. Turba autem ista ingens, quæ toto agmine circa ipsam funditur, quid sibi vult, & quinam sunt? Vocantur hi quidem improvidi atq; inconsiderati. Singuli autem, quæcunque illa projecerit, anxie corradere student. At qui accidit, quòd non eodem omnes vultu apparent, aliis lætam ac serenam frontem; aliis verò tristem & rugis contractam ac deformem ostètantibus, manusq; planctuosas extendentibus? Qui læticiam (inquit) risumq; præ se ferunt, ii sunt, quos *Fortuna* dono aliquo locupletavit: quæ causa est cur ipsam Bonam vocent fortunam. Qui verò lugere conspiciuntur laxatis brachiis, sunt illi, à quibus abstulit ea, quæ paulò antè dederat: qua de causa malè apud hos audit *Fortuna*, & improba vocatur. Qualia ergo sunt, quæ donat ipsis? Oportet enim præclara ea esse, quibus acceptis adèd lætentur alii & exultent; alii verò, quos sua spes frustrata est, lacrymis etiam ac planctu quodam animi dolorem testentur. Quæ tu (inquit) esse putas alia, nisi quæ apud vulgus hominum magna habentur, & in bonis maximè numerantur? Non satis intelligo, quæ bona dicas? Scilicet divitiæ, gloria, liberi, imperia & regna, & si quæ sunt alia hisce affinia. Quid audio? Annon hæc vel à sapientibus bona merentur appellari? De his quidem (inquit) potè agemus pluribus atq; dispiciemus. Nunc verò ad ipsam Picturæ explicationem revertamur. Placet istuc. Viden' paulò superius, quum ab hæc Portâ discesseris, murum alium, & mulieres extra ipsum consistentes, de more meretricum exornatas? Quid ni? Si

ni? Si nomina illarum expetis, dicitur hæc quidē Intemperantia, ista verò Luxus, alia Infatiabilitas, alia rursus Adulatio. Sed quor-  
sum hoc loco sic consistunt ipsæ? Observant (inquit) eos, qui do-  
no quopiam à Fortunâ accepro gaudent. Quid tūm? Exillien-  
tes suaviter amplectuntur ipsos & assentantur, orantes ut secum  
permaneāt, ac persuadere conātur eis vitam nacturos esse suavem,  
& minimè laboriosam, omniq; molestiā penitūs vacantem. Quòd  
si quis assentiat, atq; in Voluptatis consortium conspiret, aliquan-  
tisper suavis admodum ipsi ea videtur conversatio, quantisper  
hominem titillat. Nam simul ac ad se redierit, sentit miser, se  
non quidem ullum ex ea fructum percepisse, sed potiùs devorari  
cœptum, & contumeliā affectum fuisse. Quapropter etiam  
postquam omnia abligurierit ac consumserit, quæ à Fortuna ac-  
ceperat, cogitur his ipsis mulieribus sese mancipare, & omnia  
cum dedecore subire; imò perfriatā fronte nullum scelus, vel  
cum summo conjunctum periculo, averfari: utputa alterum pri-  
vare bonis, sacrilegia committere, pejerare, prodere, latrocinia  
exercere, & quæ alia hujusmodi sunt flagitia. Ubi verò omnia  
ipsum defecerint, tūm demum traditur Timoriæ, quam tu Puni-  
tionem licet dicas sive Ultionem. Hæc qualisnam est? Vides  
(inquit) à tergo earum veluti parvam quandam januam, & lo-  
cum angustum ac tenebricosum? Nunquid item mulieres tur-  
pes ac sordidæ, pannisq; obsitæ præfò esse videntur? Certè e-  
quidem. Harum igitur prima (inquit) flagrum tenens, Ultio di-  
citur: secunda, cui ad genua caput defleat, Mæsticia est:  
tertia quæ crines sibi ipsi evellit, Cruciatu. Ille verò qui propè  
astat, deformis, macer ac nudus; quæq; huic jungitur, itidem  
immunda ac macilenta: alter Luctus vocatur, altera quæ soror  
ejus est, Dejectio animi. Hisce ille committitur, & cum eis vi-  
tam colit acerbissimam. Postea rursus hinc in aliad ergastulum  
detruditur ad Infelicitatem, ubi reliquum vitæ spacium in sum-  
ma miseria transigit, nisi Pœnitudo ipsi à Fortuna obviam iverit.  
Tūm quid fit? Illa si advenerit, elevat ipsum è malis, astruit in  
ipso aliam opinionem & appetitum, qui ad veram Disciplinam  
quasi manu ducat; nec non simul eum, qui ad falsam dux esse  
queat.

qveat Quorsum tandem evadit? Si (inquit) Opinionem istam, quæ ad veram Disciplinam comes est ducitq; susceperit, expiatus per eam servatur, & in beatam ac felicem vitam deinceps immititur: Sin minùs, denuò errore fasciatur, & transversè rapitur à falsa Opinione. Mehercule, quàm grave hoc alterum est periculum! Falsa verò illa Disciplina quænam est, inquam ego. Nónne vides (ait) alterum illum murum? Maximè dixi. Num quoq; extra murum, quâ patet ingressus, mulier quædam astans, mundicie corporis ac vultu moribusq; compositis elegans, conspicitur? Etiam. Hanc itaq; Plebs ac fatuum vulgus hominum Disciplina vocant; quum nõ sit; sed potiùs veræ disciplinæ perversio. Illi ergo qui servandi sunt, quum ad verã Disciplina affectat viam, huc primùm deferuntur. Utrum autem nulla est alia via ad veram Disciplina perducens? Est, inquit. Hi verò homines, qui intra murum declinant ac gressum flectunt, quoniam sunt? Sectatores (inquit) falsæ disciplinæ, qui dum se cum vera Disciplina rem habere ac conversari existimarent, circumventi sunt ac miserè decepti. Quibus nominibus hi recensentur? Alij Poëtæ (inquit) alij Rhetores, alij Dialectici, alij Musici, alij Arithmetici, alij Geometræ, alij Astrologi; alij Epicuræi seu Voluptuarii; alij Peripatetici, alij Critici, & quicumq; ad horum sese classem adjungunt alii. Mulieres porò istæ, quæ circumcursitare videntur, prioribus similes, in quibus Incontinentiam numerabas, & alia harum affectæ, quænam sunt? Hæ ipsæ sunt, inquit. Annè etiam huc ingrediuntur? Ita per Jovem: at rarò tamen, & non sicut in priori muro. Numquid & Opiniones? Certè, inquit. Etenim & in his ille potus, quem hauserunt à Deceptione, atq; inde nata Inscitia hæret urique, & ei cognita In-  
sipientia: præterea neutiquam ab istis abest vel Opinio, vel reliqua sex improbitatis: donec repudiata tandem & valere jussâ falsâ disciplinâ veram ingrediantur viam, & animis imbibant purgatoriam ejus facultatem, & abjiciant omnia, quibus hætenus occupantur, mala, tam Opiniones, quàm Ignorantiam, & omne reliquum genus perverfitatis. Atq; hac tandem ratione salvi & incolumes evadent. Commorantes autem apud Falsam disciplinam, nullo unquam tempore liberabuntur, neq; destituet  
ipfos

ipsos malum, quoad sua magni fecerint mathemata & inanes istas  
 studiorum nugas. Quenam illa igitur via, quæ ducit ad veram Di-  
 sciplinam? Viden' (inquit) sursum ibi locum quendam, à nemine  
 habitatum, sed desertum ac solitarium apparentem? Video. Num  
 & januam quendam parvam, & ab ea semitam quendam, non fre-  
 quenti gressu conculcatam, sed à paucissimis tritam: ut si ardua  
 ascensu via & petrosæ asperitatis esse videatur? Maximè, inquam.  
 Advertis & collem præaltum, qui ascensum valdè angustum, &  
 præcipitia habet hinc atq; hinc profunda? Adverto. Hæc igitur est  
 illa via (inquit) ducens ad veram Disciplinam, quamvis aspectu  
 difficilis atq; insuperabilis appareat. Cernisne etiam superius cir-  
 ca collem petram magnam & sublimem, undiq; præruptam?  
 Cerno, inquam. Ergon' etiam vides mulieres duas stantes in ver-  
 tice scopuli, succi plenas, & bonâ corporis habitudine præditas,  
 brachia manusq; ex animi quadam propensione expandentes?  
 Etiâ. Quo verò nomine hæ appellentur, hoc perquam aveo scire?  
 Altera quidem Continentia vocatur (inquit) altera v. Constantia,  
 germanæ sorores. Quid autem manus ita comiter protendunt?  
 Exhortantur (inquit) eos, qui ad hunc locum conrendunt, ut con-  
 fidenter ac strenuè pergant, animoq; sint præsentis & intrepido,  
 spondentes ad breve duntaxat tempus opus fore tolerantia, mox  
 ipsos in viam pulchram & amœnitatis plenâ perductû iri. Quùm  
 igitur ad petram accesserint, quomodo conscendunt? Si quidem  
 nullam video, quæ ad eam deferat, viam, nullos gradus. Ipsæ (re-  
 fert) à fastigio Collis propè se demittunt, eosq; secum unâ pertra-  
 hunt, & alto loco statuunt. Hinc jubent illos aliquantisper requi-  
 escere, & statim suppeditant animi robur atq; audaciam, pollicen-  
 turq; se eos in veram Disciplinam constituturas; pariterq; viam  
 eis commonstrant & commendant, ut quæ sit plana, facilis & im-  
 munis ab omni discrimine: quemadmodum videre est. Per Jovem  
 ita res habet. Conspicisne igitur etiam ante lucum istum locum  
 quendam, qui jucundus esse ac floridus videtur, & multâ face col-  
 lustratus? Ita. Advertisne ibidem in medio prati murum alterum,  
 necnon portam alteram? Sic est. Sed quomodo vocatur hic locus?  
 Beatorum habitatio, inquit. Hic enim universa Virtutum familia,  
 B adeoq;

adeoq; ipsa versatur felicitas. Sanè apparet (inquam ego) amœnifimium illum esse locum. Porrò vidésne ad portam (inquit) mulierem quãdam honestam ac composito vultu, medio ætatis flore vigentem, stolâ indutam simplici, & cultu ornatam minimè superfluo. Consistit a. non supra lapidem rotundum, sed quadratû, firmiter ac tutò positum. Et cum hac aliæ duæ sunt, ejus quædam (uti videtur) filia. Apparet sic esse. Harum igitur quæ medium obtinet, Disciplina est, altera Veritas, ista verò Svadela. Quam v. ob causam super lapide quadrato consistit hæc? Indicio est, tutam minimeq; lubricam esse viam accedentibus, & donorum contributionem cautam esse ac certam accipientibus. Ecquænam sunt dona, quæ tribuit ipsa? Confidentia & Animi præsentia, refert ille. Hæc verò quænam sunt? Scientia (inquit) nihil grave unquam patiendi in vita. Mehercle permagna (inquam) ista sunt & excellentia dona. At quæ causa est, quòd extra murum ita consistit? Ut in adventantium gratiam (inquit) se infinet, & pharmaco quodam purgatorio ipsis medeatur; posteaq; ubi purgati fuerint, statim eos introducat ad ipsas Virtutes. Quî istuc, inquam ego: non enim assequor. Sed assequere sic satis, inquit; si proponas tibi quædam superbe ægotantem, qui impetratâ medici copiâ, primùm quidem corpus noxiis humoribus morbo causam præsentibus expurgarit, dum per medici operam convalescat deniq; & pristinam salutem recuperet: Idem verò si Medici præscriptis obtemperare nolit, hîc si in morbum recidat atq; intereat, jure id ei accidisse perhibebitur. Simili (inquit) modo res se habet in Disciplina: quam si quis consuluerit, eiq; paruerit, hunc sanat, & propinat ipsi de sua virtute & efficacia, ut expurget primùm & ejiciat omnia mala, quibuscum antea conflabatur. Quænam ista? Inscitiam puta, & errorem, quem à Deceptione suserat; tum Ostentationē; Cupiditatem, Incontinentiam, Animi impotentiam, Avaritiam, & reliqua contagiorum genera, quæ in primo ambitu ei adhæserant. Ubi verò jam purificatus fuerit, quò ipsum dimittit? Intrò (inquit) ad Scientiam, & ad reliquas virtutes. Quasnam eas? Nonne vides (ait) intra portam chorum fœminarum, quæ aspectu sunt amabiles & modestæ, peplum gestantes inelaboratû ac simplex? præterea

præterea fūco carent, ac neviq̄vam sibi cultu corporis placent, ut illæ priores? Video, inq̄vam. Sed quæ sunt earum nomina? Prima appellatur (inq̄vit) Scientia: Cæteræ v. hujus sorores, Fortitudo & Justitia, Probitas, Temperantia, Modestia, Liberalitas, Continentia, Mansuetudo. O omnium! (dixi:) quàm in magna spe versamur! Imò si intellexeritis (inq̄vit) & habitum vobis comparaveritis eorum, quæ auditis. Sed animos adverteamus (inq̄vam ego) diligentissimè. Proinde (inq̄vit) salva res erit. Postquam ergo assumserint ipsum illæ, quò abducunt? Ad Matrem, inquit. Amabò quæ nã hæc? FELICITAS, inquit. Quæ v. hujus ratio? Vide snè viam quæ ducit ad sublime illud, arcem videlicet murorum seu ambituum omnium? Video. Hic igitur in vestibulo scœmina quædã mediæ ætatis, formæ honestissimæ, residet super excelsò throno, liberaliter citra fūcū ac luxū ornata, florido sermo coronata, sanequàm elegãter. Liquidò id apparet, inquam. Hæc est ergo ipsa Felicitas, inq̄vit. Quando quis hūc jam pervenerit, quid agit? Coronat ipsū (inq̄vit) suã ipsius efficaciam Felicitas cum ipsa, tum aliæ virtutes omnes: non secūs ac si in maximis certaminibus obtentã palmã victor evaserit. At qualium ille certaminum palmam, à quib. adversariis reportavit? inquam. Maximorū, refert. Bestias n. maximas, quæ prius ipsum exedebant & cruciabant, inq̄; servitutem redigebant, istas vicit omnes, & à se profligavit: quoniam semet vicit ipse. Ita jam sua sunt mancipia, quorum ipse prius erat. Quales nã sunt istæ, quæ dicis, bestia? Id equidem scire discupio. Principio quidẽ (inq̄vit) Inscitia & Error. An v. non videntur tibi hæc esse feræ? Imò feræ (inq̄;) pessimæ. Deinde Tristitia, Luctus, Avaritia, Intemperantia, & reliqua Vitiorum cohors: His jam omnib. ille imperat; non, ut antea, turpissimo servitio paret. O res pulchrè gestas (inquam ego) & præclaram victoriã! Sed hoc etiam mihi ediffere, quæ sit efficacia coronæ, quæ ipsū redimiri dixerat? Beatifica, mi juvenis. Quinãq; eã coronatus fuerit potentia, is felix evadit ac beatus; nec in alio quoquã spes felicitatis, præterquam in seipso, collocat. Quàm illustrè victoriã narras! Sic v. coronatus quid agit. aut quorsū vadit? Reducunt ipsum unanimi consensu Virtutes ad locum illū, à quo antè venerat, & ostendunt ei versantes ibidem, quàm malè ac in-



gloriè vivant, & quasi naufragiũ faciunt in pelago hujus vitæ, va-  
riisq; errorũ fluctib. impellantur, tanq; ab hostib. victi atq; pro-  
fligati; alii quidem ab Innocentia, alii à Superbia, alii ab Avaricia,  
alii à Vanijactantia seu Inani gloria, alii deniq; ab aliis monstrib; à  
qvib. se ipsi liberare, & vinclis eorũ expedire minimè valent, ut ser-  
vètur, & huc cõmeent: sed perturbari eos, & hinc inde rapi neces-  
se est, per omnem vitam. Idq; eò accidit illis, qvìa viam hanc inve-  
stigare, aut ullo pacto insistere nequeunt. Oblivio n. eos cepit ejus,  
qvod Genius præceperat. Verè tu quidem loqui mihi videris. Sed  
& illud mihi rursus scrupulum movet, qvamobrè eidem loco re-  
stituant ipsum Virtutes, unde priùs avocarunt? Non accuratè co-  
gnorat aut perceperat (inquit) quicquam eorũ, qvæ ibi gerèertur;  
sed dubitatione animũ habebat suspensum; & qvum propter Igno-  
rantiam tum ob errorem qvem hauserat, ea qvæ bona non erant,  
existimabat esse bona, & mala qvæ non erant, mala. Propterea etiã  
vivebat improbè, ad exemplũ aliorũ ibidem cõmorantium. Jam  
v. scientiam consecutus rerum conducibilium, & ipse benè vivit,  
& dum alios malè viventes speculatur, periculum ex iisdem facit,  
sibi quod ex usu fiet. Qvum igitur omnia perlustrãrit, quid ince-  
pat, aut qvã pergit? Qvacunq; velit, inquit. Undiq; n. tuta sunt i-  
psi omnia, tanq; Corycium antrum habitanti, & ubivis gentium,  
qvò pervenerit, optimè vitã deget, in summa tranqvillitate & se-  
curitate. Ambabus n. (qvod ajunt) manib. eum suscipient omnes,  
ut medicum egroti. Quid autem? à mulierib. istis, qvas bestias ap-  
pellabas, numqvod adhuc timet, ne qvud grave patiat? Neqvãqvã.  
non interpellabitur ampliùs, neq; à Dolo, nec ab Ægrimonia,  
nec ab Intemperantia, nec ab avri sacrã fame, neq; Pavpèrte, nec  
ab omni malorũ Iernã. Omnib. n. dominatur, & excelsior est cun-  
ctis ipsum antè afficientibus aut molestantibus: qvemadmodum à  
vipera ictri, qvibus reliqvi serpentes non insidantur. Qvum n. iste  
bestiæ absq; discrimine omnes alios excrucient ad necem usq; ; il-  
lis solis nocuementi nihil afferunt; eò qvòd amuletum habeant i-  
stiusmodi. Ita & huc nihil metuendum periculi, si quis hoc se mu-  
nierit antidoto Sapienter mihi videris dicere. Sed hoc etiam scire  
velim, qvinam ii sint, qvi illinc de colle reversi videntur: qvorum  
hi coro-

hi coronam gestantes, læticiam quādam vultu produnt; illi a coronā carentes, obscurā fronte, desperati, fractis conspiciuntur tibi is, & collis caputibus, quum interim muliercularā beneficio quarundam sustententur? Qui quidem coronis sunt illustres, eos (inquit) referunt, qui ad Disciplinæ remedia servati sunt, & salutē modō per eam consecuti impensē lætantur. Alteri v. illi sine coronis incompti, partim ex animi fastidio Disciplinam valere jubent, male ac infeliciter dispositi, partim ignaviā deterriti, quando ad Tolerantiam ventum est, gressum retrō ferunt, & errabundi per avia curfant. Mulierculæ a illa, quæ comitantur ipsos, quænam sunt? Mœsticiæ (inquit) & Dolores, & Anxietates, & Ignominia, & Ignorantiæ. Omne malorum genus ipsos comitari dicis? Per Jovem omne (inquit) uno comitatu insequitur. Quum v. hi pervenerint ad primum murum ad Voluptatem & Intemperantiam, non se ipsos incusant, verum statim maledicunt atq; execrantur tam ipsā Disciplinam, quā eos, qui illud iter instituunt, quod ærumnosi ac infelices sint, pessimeq; agatur cū istis, qui præsentī, q̄ apud ipsos est, vitā se abdicantes, aliam quærant molestiæ plenam, neq; bonis in promptu positis perfruantur. At quæ tandem isti vocant bona? Luxum atq; Intemperantiam, ut summatim ac semel dicam. Plurimis enim epulis vesci, more pecudū, & cuticulam lavtē curare, id in maximis collocant bonis. Cæteræ a illæ mulieres, quæ hilares sese isthuc exhibent, frontemq; exporrigunt, quænam vocātur? Opiniones, inquit. Hæ ductis ad Disciplinā iis, qui ad Virtutes ingressi fuerant, inde revertuntur, ut & alios adducant, ac prædicēt illos jam esse beatos, quos modō introduxerint. Numquid ergo (inquam ego) hæ intro ad ipsas Virtutes penetrant? Negat. non n. (inquit) fas est, Opinionem ingredi ad Scientiam. sed Disciplinæ eos modō tradunt, quo factō redeunt ipsæ, alios vicissim adducturæ. veluti naves oneribus depositis reflectunt, ut alia quædam rursus importentur. Hęc sanē per quā industriē mihi videris (inquā) explicasse. Sed illud nondū exposuisti nobis, quid præcipiat Genius ad Vitam ingredientib. faciendum. Jubet (inquit) eos confidere: quia ppter & vos animo este bono ac præsentī. Omnia n. vobis enarrabo, nec quicq; reliqui faciam. Istuc rectē, inquam. Ex tē-


B 3      sâ igi-


sâ igitur rursùm manu, Videtisné (inquit) mulierem illam, quæ cæca videtur esse, & super Saxo rotundo consistere, quam etiam paulò antè vobis significavi, Fortunâ vocatam? Videmus. Huic ille vetat credere, & firmum aut tutum quicquid; existimare, quod ab illâ acceperis; imò ne quidem propria hujusmodi munera ducere. Nihil n. pensi habet, hæc eadem rursus auferre, atque alteri tribuere: id quod sæpenumerò factitare solet. Et propter eam ipsam causam jubet illius donaria suscipere; deique ferri, ac nihil animo immutari, sic ut neque gaudeas datis, neque doleas ademptis, neque vel maledictis eam incessas, vel laudibus delinias. Nihil namque suscipit cum ratione, sed omnia temerè, ut quæque sese offerunt: prout antè diximus. Ea de re Genius monet, ne quid admireris eorum, quæ ipsa facit. Aliàs similis evades numulariis: qui quum argentum ab hominibus acceperint, gratulantur sibi propriumque; id esse autumant; quâdo autem restituere jubentur, indignantur, ac si injuria sibi facta fuisset: quum meminisse debeant, hac se conditione accepisse deposita, ut ei, qui deposuisset, repetere eadè liceret. Similiter rem sese in hujusmodi donationibus habere Genius arguit, ut cogitemus, hujusmodi esse naturam propriumque; morem Fortunæ, ut quæ dederit auferat, & statim inde retribuatur alia varia; imò sæpiùs non modò quæ dedit adimat, sed & illa quæ priùs tenueras. Quæ ergo dederit, jubet accipere ab ipsâ, & extemplo se conferre ad constantem illam ac tutam donationem. Quam istam? quæro. Expectandâ à Disciplina, si quidem ille salutem tueri suam velint. Hæc igitur cædò quæ est? Vera Scientia (inquit) rerum conducibilium, adeoque; secunda donatio, constans & immutabilis. Confestim ergo ad hanc jubet confugere. Quumque; accesserint ad mulierculas istas, quas antè commemoravi, Intemperantiam scilicet & Voluptatem, hinc statim jubet discedere, & nullam in re fidem iis adhibere ullam, donec ad falsam Disciplinam pervenerint. Jubet itaque; istis aliquantisper immorari, & ab eo quicquid lubeat accipere, quasi viaticum: dein extemplo pergere ad veram Disciplinam. Istæ hæc ferè sunt, quæ præcipit Genius. Quisquis jam præter ea quid admittit, vel dictis non est audiens, malus male perierit.


*Hæc itaque, illa est, ò hospites, fabula, quam in presenti tabulâ descriptam videtis, interpretatio. Si quid fortè insuper opus est percontari de singulis hisce, licebit sanè: Nam ego vobis operam navabo lubentissimè. Factum bene (inquam ego.) Sed quæ tandem jubet illos Genius accipere à Falsa disciplina? Ea*

quæ utilia videntur esse. Ec quanam ea? Literarum noticiam (inquit) & de reliquis Mathematicis studiis nonnulla, quæ & Plato Philosophorum ille quæsi Deus freni cuiusdam habere vim dixit, in adolescentibus, ne in diversa abeant ac circumagantur. Utrum autem necessaria hæc sunt ei, qui ad veram Disciplinam contendit, annon? Necessitas quidem (inquit) nulla est: at sunt utilia tamen. Verum ut melior evadas, nihil ista conducunt. Nihilne igitur hac momenti habent ad nomen boni Viri promerendum? Quid habeant? inquit: siquidem licet etiam sine his ad meliores transire. Nec tamen (ut dictum) inutilia sunt ista. Sicuti n. per interpretem ea, quæ dicuntur, assequimur: quum interim juvet etiam nos ipsos verba accuratius percipere, si quid per nos intelligamus: Ita & citra hæc mathematica nihil prohibebit fieri. Utrum nullâ re præstet (inquit) aliis hominibus istis Mathematici, ut in bonos viros præ cateris evadant? Quomodo præstent? quando videntur æquè decepti fuisse atq; allucinati circa bona & mala, quàm alii; imò adhuc ab omni vitiorum genere impediuntur. Nihil n. obstat, quò minus cognitas aliquis habeat literas, memoriâq; complectatur mathematica omnia, & simul temulentus atq; incontinens sit, & avarus, & injustus, & proditor, deniq; insipiens. Nimirum multos istiusmodi passim videre est. Vides ergo (inquit) nihil his esse præ aliis singulare, quo in bonos viros evadant, istarum gratiâ disciplinarum? Nequaquam id apparet ex hac ipsa ratione. Sed amabo te (dixi) causa quanam est? Quia nempe in secundo muro detinentur, ac versantur ita, ut qui à vera Disciplina propè absint. Et quid hoc eos juvat? inquam. Etenim sepe videre est, quosdam ex primo muro ab Intemperantia ejusq; consortibus venientes, per tertium ambitum ad ipsam Disciplinam veram penetrare, quum quidem istos mathematicos insalutatos præterierim. Qui igitur adhuc præcminent? nempe aut immobiliores aut ad discendum hebetiores & tardiores quum existant. Id verò qui (inquam) sit? Quoniam in altero circuitu qui versantur, ut nihil aliud, certè simulant se scire ea, quæ ignorant. Quamdiu v. hanc tenent opinionem, immobiles eos necesse est esse, ne rectâ feranter ad ipsam veram Disciplinam. Denud a. numquid vides, quòd & Opiniones ex primo muro intrent ad ipsos iidem? Ut aded nihil hi illis sint meliores, nisi & his præstet Pœnitentia, quæ sibi persuaderi patientur, se non Disciplinam habere veram sed Falsam modò, cuius fascino sic demententur, ut ad salutem aspirare nequeant. Et vos igitur, o Hospites, (inquit) siquidem vestræ consilium saluti cupitis, ita omninò vobis agendum statuetis, ut dictis constanter immoremini, donec vobis habitum acquisiveritis. Quod ut fiat, crebro apud animum revocanda sunt eadem & perpetuò meditanda; reliquis omnib., ut supervacaneis & nihil ad rem facientib. omisiss. Quod si minus facietis, nullū ad vos dimanabit ex his auditis commodum. Annitemur. Hoc v. nobis ediffere, quomodo non sint bona, quæ

accipiūt homines à Fortuna? veluti vivere, valere, opib. pollere, in oculis hominū  
versari ac magnifici, liberis secundum habere larē, victoria laudē palmāq. re-  
portare, & his similia: annon v. his contraria sunt mala? Prorsus absurda nobis  
atq. incredibilis illa videtur oratio. Age itaq. periculū fac (inquit) respondendi,  
quid tibi videatur de his, quę te interrogo. Ego v. conabor, inqvā. Signis malē vi-  
vat. eritne id ipsi bono? Non videtur mihi; sed ē contra potius, inqvā. Qua igitur  
ratione bonū sit vivere (inquit) quandoquidē huic est malū? Nā is qui malē vi-  
vūt, malū esse videtur; qui v. bonē, his demū bonū. Ergo malū dicis & bonū esse  
vivere? Sc. Ne itā absurdē sentias. Impossibile n. est, unā eadēq. rē malā pariter  
& bonā esse. Sic n. & utile & noxiū foret expetendū pariter & fugiendū per-  
petud. Id quidē dictū absurdum. Sed quid? si malē vivere ei, cui vita inest, malū  
quid existit, continuū malū erit ipsum vivere? Heus tu (inquit) non unū sunt &  
idem vivere, & malē vivere. Ain tu? Certē nec mihi videtur idē esse. Vivere itaq.  
ipsum non est malū. Quandoquidē si malū esset, viventib. honestē malum inesset,  
ed quōd vita inesset tanqvā malū. Rectē tu quidē mihi videris sentire. Quoniam  
ergo utrisq. accidit vivere, tam male viventib. quā bene, haud scio, an possit  
neq. bonū dici ipsū vivere, neq. malum. Quēmadmodū neq. secare & urere, in  
egrotantib. est pariter insalubre & salubre. Idem quoq. de tota hac vivendī ra-  
tione statuendū est. Tu igitur ita tecū supputa atq. elige, utrum malū turpiterne  
vivere, an moriē cum vita honestē fortiterq. cōmutare? Ego v. mortem cum vita  
honestē cōmutare. Ideoq. nec mori malū est; siquidē satius sape est mori, quā vi-  
tā frui. Omnino. Eadē ergo ratio est in sanitate & egrotatione. Nōnunqvā n. nō  
expedit, valere, sed contrarium, ubi talis fuerit circūstantia. Verum dicis. Age ad  
eundē modū considerationē suscipiamus de possidendis divitiis. Et n. passim vide-  
as, quib. cum opes minimē desint, malē tamen ac miserē vitā transigant. Per fo-  
rē (dixi) plurimos. Nihilne igitur his divitiis pariunt emolumentū, nec ullo sunt  
ad bene vivendum adjuventū? Non apparet. Ipsi n. suā sibi obsunt improbita-  
te, quōd minūs ad beatitudinis possessionē admittantur. Quocirca non divitiis, sed  
Disciplina viros efficit frugi ac bonos. Verisimile id quidē. Ex hac igitur ratione  
liquet, divitiis non esse in bonis habendas: quādd nihil juvāt possidente, quo me-  
liores evadant. Sanē. Quid? quōd & incōmodo sunt nōnullis divitiis, quā is uti  
nesciant. Ita puto Quomodo igitur in bonorū censu quisq. id habendū iudicabit,  
quōd sepius non habere presset? Nullus opinor. An v. si quis divitiis rectē ac pru-  
dētē uti noverit, ita demū possidentē beabunt; aliās nequaqvā? Rem acu tetigi-  
sti. Atq. (ut in pauca totū contrahā) suscipere ista ac magnificere itaq. bona, vel  
contemnere tanquam mala; hec illa causa est perturbata societatis humana, plu-  
rima secū trahens incōmoda: quoniam in precio homines habent illa, & nullā in re  
aliā collocandam esse felicitatem existimant; & nihil non, etiam improbi-  
simā aliās visa, istorum gratiā admittunt: idq. ex sola boni ignorantia.












hi coronam gestantes, læticiam quãdã  
ronã carentes, obscurã fronte, desperati  
is, & collisif capitibus, quum interim m  
rundam sustententur? Qvi quidem cor  
qvit)referunt, qvi ad Disciplinã remedia  
dò per eam consecuti impensè lætantur  
incompti, partim ex animi fastidio Disci  
lè ac infelicitè dispositi, partim ignavia  
lerantiam ventum est, gressum retrò fer  
curfitant. Mulierculæ a. illæ, quæ comita  
Mœsticiæ (inquit) & Dolores, & Anxiet  
norantiæ. Omne malorum genus ipsos  
omne (inquit) uno comitatu insequitur.  
ad primum murum ad Voluptatem & I  
psos incusant, verum statim maledicun  
Disciplinam, quã eos, qvi illuc iter inft  
infelices sint, pessimeq; agatur cū istis,  
est, vitã se abdicantes, aliam quærant mo  
in promptu positis perfruantur. At quæ  
Luxum atq; Intemperantiam, ut summa  
rimis enim epulis vesci, more pecudũ, d  
id in maximis collocant bonis. Cæteræ  
res sese isthuc exhibent, frontemq; expor  
Opiniones, inquit, hæ ductis ad Discipl  
gressi fuerant, inde revertuntur, ut & ali  
illos jam esse beatos, quos modò introd  
(inquam ego) hæ intrò ad ipsas Virtutes  
(inquit) fas est, Opinionem ingredi ad S  
eos modò tradunt; quo factò redeunt ip  
ræ, veluti naves oneribus depositis reflec  
sus importentur. Hęc sanè per quã indu  
explicasse. Sed illud nondũ exposuisti n  
nius ad Vitam ingredientib; faciendum.  
dere: quã ppter & vos animo esse bono ac  
bis enarrabo, nec quicq; reliqui faciam. I



ant; illi a. co-  
ciuntur tibi  
ne ficio qua-  
tres, eos (in-  
& salutè mo-  
fine coronis  
jubent, ma-  
ndo ad To-  
ndi per avia  
ænam sunt?  
iniã, & Ig-  
Per Jovem  
pervenerint  
m, non fei-  
tur tam ipsã  
erumnosi ac  
apud ipsos  
neq; bonis  
cant bona?  
dicam. Plu-  
vitè curare,  
s, quæ hila-  
m vocatur?  
Virtutes in-  
ac prædicet  
nquid ergo  
gat. non n.  
Disciplinæ  
n adductu.  
vadam rur-  
eris (inquã)  
incipiat Ge-  
) eos confi-  
nnia n. vo-  
am. Ex tẽ-  
sã igi-